



Universitätsbibliothek Paderborn

S. Avrel. Avgvstini Confessionvm Libri X

Augustinus, Aurelius

Coloniae, 1646

Liber VI. Narrat, quæ trigesimo ætatis anno Mediolani egerit, etiamnum fluctuans. Sensim vero Ambrosium Catholicæ Fidei veritatem, sibi probabilem fecisse fatetur. Multa interim de Alipio, ejusque ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-10120

LIBER VI.

Narrat, quæ trigesimo ætatis anno
Mediolani egerit, etiamnum flu-
ctuans. Sensim vero Ambrosium
Catholicæ fidei veritatem, sibi
probabilem fecisse fatetur. Mul-
ta interim de Alipio, ejusque mo-
ribus interserit: ac suum, matrisque
consilium de conjugio recenset.

CAP. I.

*Mater filium terra marique sequens, eum
Mediolani nec Manichaum, nec Catholi-
cum ingenti cum latitia reperit.*

I.  Pes mea à juventute mea,
ubi mihi eras, & quò re-
cesseras? An vero non tu
feceras me, & disreve-
ras me à quadrupedibus
& volatilibus cœli? Sapi-
entiores me feceras, & ambulabam per te-
nebras, & lubricum; & quarebam te foris
à me, & non inveniebam Deum cordis mei;
& veneram in profundum maris, & diffide-
bam, & desperabam de inventione veri.
Iam venerat ad me mater pietate fortis, ter-
ra marique me sequens, & in periculis om-
nibus de te secura. Nam & per marina dis-
crimina, ipsos nautas consolabatur: à qui-
bus rudes abyssi viatores, cum perturban-
tur,

tur, consolari solent, pollicens eis perven-
tionem cum salute, quia hoc ei tu per visum
pollicitus eras.

2. Et invenit me periclitantein quidem
graviter, desperatione indagandæ veritatis.
Sed tamen ei cum indicasse, non me qui-
dem jam esse Manichæum, sed neque Ca-
tholicum Christianum, non quasi inopina-
tum aliquid audierit, exilivit lœtitia: cum
jam secura fieret ex ea parte miseriæ meæ,
in qua me tanquam mortuum, sed resusci-
tandum tibi flebat; & a feretro cogitatio-
nis efferebat, ut diceres filio viduæ: *Inve-*
nis tibi dico, Surge: & revisceret, ^{Luc. 7.} *& inciperet*
^{15.} *loqui, & redderes illum matri suæ. Nulla*
ergo turbulentæ exultatione trepidavit cor
ejus, cum audisset ex tanta parte jam fa-
ctum, quod tibi quotidie plangebat, ut fie-
ret: veritatem me nondum adeptum, sed
falsitati jam erectum. Imo vero quia certa
erat, & quod restabat te daturum, qui totum
promiseras: placidissime, & pectore pleno
fiduciæ respondit mihi credere se in Chri-
sto, quod priusquam de hac vita emigraret,
me visura esset fidelem Catholicum.

3. Et hoc quidem mihi. Tibi autem fons
misericordiarum preces & lachrymas den-
siores, ut accelerares adjutorium tuum, &
illuminares tenebras meas; & studiosius ad
ecclesiam currerem, in Ambrosii ora su- ^{Ioa. 4, 14.}
spendi, & *ad fontem salientis aqua in vitam æter-
nam.* Diligebat autem illum virum, sicut An-
gelum Dei, quod per illum cognoverat me
interim ad illam ancipitem fluctuationem
jam perductum: per quam transiturum me
ab ægritudine ad sanitatem, intercurrente

180 S. AVR. AVGUST. CONFES.

acriore periculo, quasi b per accessionem,
quam criticam medici vocant, certa præsumebat.

N O T A E.

Luc. 7.

- a *Feretro cogitationis efferebat*) eleganti allegoria al ludit ad filium viduæ de Naim, sicut enim illi Christus misericordia motus filium reddidit, ita S. Monica Augustinum suum non corpore, sed animo mortuum, in feretro cogitationis suæ, Deo offerebat suscitandum & convertendum.
b *Per accessionem, quam criticam medici vocant*) solent subinde morbi, antequam decedant, vehementius invalescere certis diebus: eam accessionem medici criticam dicunt.

V S V S.

Recte dicit S. D. se graviter periclitatum, desperatione indagandæ veritatis, & intercurrente aciore periculo, ad sanitatem venisse: quia minus periculorum est, esse certæ sectæ addictum, quam Atheum vel Politicum. Nam Atheismus omne religionis ac pietatis fundamentum revertit, quod Deus est. Politici vero, dum quemvis in sua religione salvari posse credunt, omnium sectarum errores hoc ipso approbant. Efficax argumentum est, quo supposita divina providentia S. D. ex Dei bonitate colligit, patere nobis viam & autoritatem esse constitutam in Ecclesia & Scripturis, qua duce possimus ad veritatem pervenire; quod argumenum, tum alibi, tum infra tangit & explicat.

V. Becc. I. 5
man. c. 1.

Cap. 16
de util.
credendi,

C A P. II.

Matrem cum pro more Africano epulas ad Agapen in Ecclesiam afferret, & à S. Ambroso prohiberetur, mox acquievisse.

i. **I**Taq; cum a ad memorias Sanctorum, sicut in Africa solebat, pultes, & panem,

nem, & merum attulisset, atque ab ostiario prohiberetur: ubi hoc Episcopum vetuisse cognovit, tam pie atque obedienter amplexa est, ut ipse mirarer, quod tam facile accusatrix potius consuetudinis suæ, quam disceptatrix illius prohibitionis effecta sit. Non enim obsidebat spiritum ejus vinolentia, eamque stimulabat in odium veri amor vini: sicut plerosque mares & feminas, qui ad canticum sobrietatis, sicut ad potionem aquatam madidi nauseant. Sed illa cum attulisset canistrum cum solemnibus epulis prægustandis atque largiendis: plus etiam quam unum pocillum, pro suo palato satis sobrio temperatum, unde dignationem sumeret, non ponebat. Et si multæ essent, quæ illo modo videbantur honorandæ memoriæ defunctorum, idem ipsum unum, quod ubique poneret, circumferebat: quod jam non solum aquatissimum, sed etiam tepidissimum, cum suis præsentibus per sortitiones exiguae partiretur; quia pietatem ibi quærebat, non voluptatem.

2. Itaque, ubi comperit à præclaro prædicatore atque antistite pietatis, præceptum esse ista non fieri, nec ab eis qui sobrie facerent, ne ulla occasio se ingurgitandi datur ebriosis, & quia illa quasi parentalia, superstitioni gentiliū essent simillima: abstinuit se libentissime; & pro canistro pleno terrenis fructibus, plenū purgatoriis votis pectus ad memorias martyrum afferre didicerat; ut & quod posset, daret e gentibus, & sic communicatio Dominici Corporis illic celebraretur, cuius passionis imitatione, immolati & coronati sunt martyres.

H 7

3. Sed

3. Sed tamen videtur mihi Domine Deus meus, & ita est in conspectu tuo de hac re cor meum, non facile fortasse de hac amputanda consuetudine matrem meam fuisse cessuram: si ab alio prohiberetur, quem non sicut Ambrosium diligebat, quem propter salutem meam maxime diligebat; eam vero ille, propter ejus religiosissimam conversationem, quia in bonis operibus tam fervens spiritu, frequentabat ecclesiam: ita ut saepe erumperet, cum me videret, in ejus prædicatione, gratulans mihi, quod talem matrem haberem: nesciens quam illa me filium, qui dubitabam de illis omnibus, & inveniri posse viam vitae, minime putabam.

N O T A E.

de vit. dif-
ferent.Ep. 64. V.
Spoud. A.
C. 57.
n. 39.
& 40.

In Ierem.

- a Ad memorias SSorum, sicut in Africa solebat Gt.) ex consuetudine Ecclesiæ Africanæ afferebat Monica epulas in Ecclesiam, ut inde Agapen, sive convivium in caritatis signum daret, pauperibus maxime. Qui mos à primis Christianis, ipsique adeo Apostolis profluxit. Celebrabant vero triplici ex causa sacra hæc convivia, nempe in Natalitiis, Funeribus & Connubiiis, teste Gregor. Nazianz. Ob varios vero abusus Ambrosius hunc morem Mediolani sustulit, quod alibi quoque factum; tandem omnia convivia intra Ecclesiam vetita sunt, & ex templis in privatas ædes commigrarunt. Ipse quoque S. D. eas postmodum abolendas censuit.
- b Vnde dignationem sumeret) sive prægustaret vinum quod aliis afferebat, quæ prægustatio dignitatis erat, & velut propinationis loco.
- c Quasi parentalia) id est, convivia in funere parentum vel propinquorum exhiberi solita, & sic dicta, quod hoc officii genus filii parentibus præstare solebant, teste S. Hieronymo,

V S V S.

V S V S.

1. Sobrietas insignis elucet S. Monicæ , quæ ex uno eodemque poculo , dignationem non tam bibebat quam sorbillabat , præsertim si in pluribus Ecclesiis Agapen celebratura erat : ne vide- licet , si plura pocula eaque non diluta sumeret , in temperantiæ leges peccaret.
2. Probathic mœs cultum Sanctorum in veteri Eccle- sia consuetum , et si postea ob varios abusus epu- lœ ex Templis omnino proscriptæ sint. In quo- rum locum successerunt oblationes tum pecu- niæ , tum panum , & vini , quæ à fidelibus no- stra etiam ætate , sub Sacrificio Missæ ad altare offerri solent , & in usum Ministrorum Eccle- siæ cedunt. Hinc quoque manarunt *portule* , quæ in Dedicationibus , funeribus , anniversariis , & natalitiis Sanctorum , pauperibus plurimis locis dividuntur.
3. Magnum Dei beneficium est parentes habere probos ac sanctos , ut merito S. Ambrosius gra- tulatus sit S. Augustino de tali matre. A paren- tibus educatio præcipue pendet , quæ si bona est , ingens momentum affert ad salutem. Talium enim parentum liberi innocentiam facile conser- vant , aut si sua aliorumque culpa degenerent , re- cordatione parentum , eorumque castis precibus ad frugem redeunt.

C A P. III.

Ambrosium libere sciscitandi copiam sibi non fecisse : ex eo se cognovisse , Deo Ca- tholicos humanam figuram non tribuere.

1. a **N**ec jam ingemiscebam orando , ut subvenires mihi , sed ad quæren- dum intentus , & ad differendum inquietus erat animus meus. Ipsumque Ambrosium , felicem quendam hominem secundum se- culum opinabar , quem sic tantæ potestates honorarent : cœlibatus tantum ejus mihi la- bo-

boriosus videbatur. Quid autem ille spei gereret adversus ipsius excellentiae tentamenta, quid luctaminis haberet, quidve solaminis in adversis: & *b* occultum os ejus, quod erat in corde ejus, quam sapida gaudia de pane tuo ruminaret, nec conjicere noveram, nec expertus eram. Nec ille sciebat aestus meos, nec foveam periculi mei. Non enim querere ab eo poteram, quod volebam: secludentibus me ab ejus aure, atque ore, catervis negotiorum hominum, quorum infirmitatibus serviebat. Cum quibus quando non erat, quod per exiguum temporis erat: aut corpus reficiebat necessariis sustentaculis, aut lectione animum.

2. Sed cum legebat, oculi ducebantur per paginas: & cor intellectum rimabatur, vox autem & lingua quiescebat. Sæpe cum adesse inns (non enim vetabatur quisquam ingredi, aut ei venientem nunciari mos erat;) sic eum legentem vidimus tacite, & aliter nunquam. Sedentesque in diuturno silentio (quis enim tam intento esse oneri auderet?) discedebamus, & conjectabamus eum parvo illo tempore, quod reparandæ menti suæ nancisciebatur, feriatum ab strepitu causarum alienarum, nolle in aliud avocari: & cavere fortasse, ne auditore suspenso, & intento, si qua obscurius posuisset ille, quem legeret, etiam exponere necesse esset: aut de aliquibus difficilioribus disceptare quæstionibus, atque huic operi temporibus impensis, minus quam vellet voluminum evolveret: quanquam & causa servandæ vocis, quæ illi facillime obtundebatur, poterat esse justior tacite legendi.

Quolibet

Quolibet tamen animo id ageret, bono utique ille vir agebat.

3. Sed certe mihi nulla dabatur copia sciscitandi, quæ cupiebam, de tam sancto oraculo tuo, pectori illius, nisi cum aliquid breviter esset audiendum. Aestus autem illi mei, ociosum eum valde, cui refunderentur, requirebant, nec unquam inveniebant. Et eum quidem in populo, verbum veritatis recte tractantem, omni die dominico audiebam: & magis magisque mihi confirmabatur, omnes versatarum calumniarum nodos, quos illi deceptores nostri adversus divinos libros innectebant, posse dissolvi.

4. Vbi vero etiam comperi, ad imaginem tuam hominem à te factum, à spirituibus filiis tuis, quos c de matre Catholica per gratiam regenerasti, non sic intelligi: ut humani corporis forma te terminatum crederent atque cogitarent; quanquam quomodo se haberet spiritualis substantia, ne qui-dem tenuiter atque in ænigmate suspicabar: tamen gaudens erubui, non me tot annos adversus Catholicam fidem, sed contra carnalium cogitationum figmenta latrassè. Eo quippe temerarius & impius fueram, quod ea, quæ debebam quærendo discere, accusando dixeram. Tu enim altissime & proxime, secretissime & præsentissime, cui membra non sunt alia majora, & alia minoria: sed ubique totus es, & d nusquam locorum es, non es utique forma ista corporea, tamen fecisti hominem ad imaginem tuam, & ecce ipse à capite usque ad pedes in loco est:

N O-

N O T A E.

- 2.
- 1.5.C.14. a Nec jam ingemiscebam orando) apparet S. D. Academicis fluctibus abreptum, subinde orationis studium, de quo supra, desperatione invenienda veritatis deposuisse: accedente præsertim desiderio gloriæ humanæ, quæ cogitationes illius à salutis cura avertebat. Non assentior tamen Baronio, qui asserit S. D. inter Academicos sedulo professum, ad quos eum se contulisse, Spondanus itidem putat. Nam etsi more Academicorum fluctuaret, & cum illis sentiret: sectam tamen illorum professus non est, nam & illi sine nomine salutari Christi erant, sine quo philosophis curationem languoris anime sue committere omnino recusabat, ut aperte scribit; additque statuisse se tandem esse catechumenum in Catholica Ecclesia, sibi a parentibus commendata, nec aliquid certi eluceret, quo cursum dirigeret. Non ergo statuit esse Academicus, etsi magni illos faceret, & illorum more dubitaret de oīnibus.
- A.C.384. b Occultum os ejus &c.) meditatio nempe, in qua cælestia solatia, de pane verbi divini manducabat.
- 1.5.C.14. c De matre Catholica) intelligit Ecclesiam Catholicam, quam sine addito Catholicam sæpius appellat, & alibi docet, hoc nomine toto orbe nullam hæreticorum Ecclesiam intelligi, sed solum eam, quæ vere Catholica est.
- contra ep. Fund.c.4. d Nusquam locorum es) ita ut loco includaris, & non sis extra illum; hoc enim repugnat immensitati. Quam ob causam merito S. D. non credebat Deum humana figura terminari, quia homo à capite usque ad pedes loco circumscribitur, etsi male crederet Catholicos hoc docere.

V S V S.

- I. Sicut perperam Augustinus de S. Ambrosii terrena felicitate, quam ipse nec quærebat, nec habebat, judicavit, ob externum splendorem, & Episcopalis Officii dignitatem: ita multi etiamnum viros Ecclesiasticos & Religiosos, quorum virtus & eruditio à summis & infimis colitur, immerito condemnant vanitatis, & politicæ arrogantiæ. Qui si viderent illos intus nihil spei caducæ gerere; & adversus ipsius excellenciam
- ta.

tamenta luctari, per continuam sui abnegationem : nec aliud solatium in adversis preter Dei voluntatem querere, & solida gaudia in oratione gustare : indeque immem vigorem suum trahere, cessarent de illis male sentire, & pede suo eos metiri.

- .2. Maximi momenti est ad conversionem ab hæresi, sectariorum injurias cognoscere, dum mentioniuntur Catholicos docere, quæ abominantur. Id sane in Manichæis clare deprehendit Augustinus, à quibus persuasus est, Catholicos sentire, hominem secundum corpus creatum ad imaginem Dei, quod & absurdum, & falsum est.

C A P. IV.

Etsi S. Ambrosius ostenderet, Catholicos non docere, quæ putabat : se tamen ne falsa crederet, ea quæ credenda sunt, sibi demonstrari voluisse.

I. **C**um ergo nescirem, quo modo hæc subsisteret imago tua, pulsansque proponerem, quomodo credendum esset, non insultans opponerem, quasi ita creditum esset : tanto igitur acrior cura rodebat intima mea, quid certi retinerem, quanto me magis pudebat, tamdiu illusum & deceptum promissione certorum, puerili errore & animositate, tam multa incerta quasi certa garrisce. Quod enim falsa essent, postea mihi claruit. Certum tamen erat, quod incerta essent ; & à me aliquando pro certis habita fuissent, cum Catholicam tuam cæcis contentionibus accusarem, & si nondum compertam vera docentem, non tamen ea docentem, quæ graviter accusabam. Itaque confundebar, & convertebar, & gaudebam Deus meus, quod Ecclesia unica

unica, corpus unici tui, in qua mihi nomen Christi infantí est inditum, non saperet infantiles nugas: neque hoc haberet in doctrina sua sana, quod te creareorem omnium in spaciū loci, quamvis summum & amplum, tamen undique terminatum membrorum humanorum figura, contruderet.

2. Et gaudebam etiam, quod vetera scripta legis & prophetarum, jam non illo oculo mihi legenda proponerentur, quo antea videbantur absurdā, cuī arguebam tanquam ita sentientes sanctos tuos; verum autem non ita sentiebant. Et (tanquam regulam diligentissime commendaret) sāpe in popularibus sermonibus suis, dicentem Ambrosium lātus audiebam: *Litera occidit, spiritus autem vivificat*, cum ea, quā ad literā, perversitatem docere videbantur, remoto mystico velamento spiritualiter appeariret, non dicens quod me offenderet: quamvis ea diceret, quā utrum vera essent, adhuc ignorarem. Tenebam enim cor meum ab omni assensione, timens præcipitium, & suspendio magis necabar.

<sup>2 Cor. 3.
6.</sup>

3. Volebam enim eorum, quā non videarem, ita me certum fieri, ut certus essem, quod septem & tria decem sint. Neq; enim tam insanus eram, ut ne hoc quidem putarem posse comprehendēti; sed sicut hoc, ita cætera cupiebam: sive corporalia, quā coram sensibus meis non adessent: sive spiritualia, de quib; cogitare nisi corporaliter nesciebam. Et sanari credendo poteram, ut purgatiō acies mentis meā dirigeretur aliquo modo in veritatem tuam semper manen-

nentem, & ex nullo deficientem. Sed sicut evenire assolet, ut malum medicum expertus, etiam bono timeat se committere: ita erat valetudo animæ meæ, quæ utique nisi credendo sanari non poterat. Et ne falsa crederet, curari recusabat: resistens manibus tuis, qui medicamenta fidei confecisti, & asperfisti super morbos orbis terrarum, & tantam illis autoritatem tribuisti.

V S V S.

1. Claram esse Scripturam contendunt nostri Scriptorii; contrarium suo exemplo demonstrat Augustinus, qui ideo cum Manichæis Scripturas veteres rejicit, quia figuræ rerum & verborum secundum literam accipiens, multa absurdâ iis contineri putabat. Doctus vero à S. Ambroſio *Liber de spiritu vivificante*, id est figuratas locutiones ad literam non accipiendas, denique resipuit. Cum vero ejusmodi verborum & figurum obscuritate Scripturæ abundant, clarum est eas claras non esse.
2. Necesse est eos qui ad veritatem aspirant, captivare intellectum suum, & redigere in obsequium Christi. S. D. hanc maxime ob causam in Manichæorum hæreses incidit, quod putaret Catholicos fidei quam imperarent, rationem non habere, Manichæos vero mysteriorum suorum causas explicare posse.

C A P. V.

Recte juberi apud Catholicos, ut credantur, quæ demonstrari nequeunt: Scripturas vero à Dei providentia subministratas, ex earum autoritate concludit.

1. Ex hoc tamen quoque jam præponens doctrinam catholicam, modeſtius

stius ibi, minimeque fallaciter sentiebam juberi, ut crederetur, quod non demonstrabatur; sive esset quid, *a* sed cui forte non esset, sive nec quid esset, quam illic temeraria pollicitatione scientiaz credulitatem irriteri: & postea tam multa fabulosissima & absurdissima, quia demonstrari non poterant, credenda imperari. Deinde paulatim tu Domine, manu mitissima & misericordissima pertractans & componens cor meum, consideranti quam innumerabilia crederem, quæ non viderem, neque cum gererentur, affuissem (sicut tam multa in historia gentium, tam multa de locis atque urbibus, quæ non videram, tam multa amicis, tam multa medicis, tam multa hominibus aliis atque aliis) quæ nisi crederentur, omnino in hac vita nihil ageremus. Postremo, quam inconclusa fixum fide retinerem, de quibus parentibus ortus essem; quod scire non possem, nisi audiendo credidisset.

2. Persuasisti mihi, non qui crederent libris tuis, quos tanta in omnibus fere gentibus autoritate fundasti, sed qui non crederent esse culpados; nec audiendos esse, si qui forte mihi dicerent: Vnde scis illos libros, unius veri & veracissimi Dei spiriru esse humano generi ministratos? Id ipsum enim maxime credendum erat, quoniam nulla pugnacitas calumniosarum quæstionum, per tam multa quæ legeram, inter se confligentium philosophorum, extorquere mihi potuit, ut aliquando non crederem te esse, quicquid es, quod ego nescirem, aut administrationem rerum humanarum ad te per-

pertinere. Sed id credebam aliquando robustius, aliquando exilius, semper tamen credidi, & esse te, & curam nostri gerere: etiamsi ignorabam, vel quid sentiendum esset de substantia tua, vel quæ via duceret, aut reduceret ad te.

3. Ideoq; cum essemus infirmi ad inveniendam liquida ratione veritatem, & ob hoc nobis opus esset autoritate sanctorum literarum, jam credere cœperam, nullo modo te fuisse tributurum tam excellentem illi scripturæ per omnes jam terras autoritatem: nisi & per ipsam tibi credi, & per ipsam te quæri voluisses. Iam enim absurditatem, quæ me in illis literis solebat offendere, cum multa ex eis probabiliter exposita audissem, ad sacramentorum altitudinem referebam: eoque mihi illa venerabilior, & sacrosancta fide dignior apparebat autoritas, quo & omnibus ad legendum esset in promptu, & b secreti sui dignitatem intellectu profundiore servaret, verbis apertissimis & humillimo genere loquendi se cunctis præbens, & exercens intentionem eorum, qui non sunt leves corde: c ut exciperet omnes populari sinu, & per angusta foramina paucos ad te trajiceret: multo tamen plures, quam si nec tanto apice autoritatis eminet, nec turbas gremio sanctæ humilitatis hauriret. Cogitabam hæc, & aderas mihi: suspirabam, & exaudiebas me: fluctuabam, & gubernabas me: ibam per viam seculi latam, nec deserebas me.

N O-

N O T Æ.

a Sed cui forte non esset) sensus obscurus, verum nulla lectio variat. Forte subintelligi debet, commodo sive bono, ut sensus sit: Credendum esse etiam id, quod non demonstratur, sive esset quid, id est, ens aliquod, sed cui bono esset intelligi non posset; sive nec quid id est nihil esset, rectius nihilominus Catholicis credi quam Manichaës, quia minus absurdum est, credere illic, qui jubent credere, quam illos sequi, qui aliorum credulitatem irrident: & sibi absurdas fabulas, quas demonstrare non possunt, credi volunt. Alius fortasse sic explicabit: Sentiebam Catholicos recte jubere, ut in Scripturis sacris, & doctrina Fidei crederetur, quod non demonstrabatur: sive esset quid, quod revera demonstrari quidem posset, sed forte non esset satis capax & intelligens, cui posset: sive nec quid esset, id est sive non esset quippiam hujusmodi, quod posset demonstrari, nempe propter sublimitatem intellectu humano superiorum.

b Secreti sui dignitatem) Scripturæ obscuritatem tangir, qua Deus Superbiā nostrā retundere voluit.

c Exciperet omnes populari finu) verborum simplicium, sine fuso elegantiarum; & per angusta foramina figurarum paucos humiliter sapientes ad te cognoscendum trajiceret, sive perduceret.

V S V S.

I. In mysteriis fidei demonstrationes quærere hæreticorum est, qui sua absurdâ absque ratione sibi credi volunt, ut hic & alibi affirmat S. D. afferens se ob id maxime motum ad deserendos Manichæos, à quibus vana demonstrationum pollicitatione novem fere annis delusus erat. Corrigenda est hæc incredulitas. I. Exemplis plurimarum rerum, quas credimus nec vilas, nec demonstratas, non tanta autoritate inducti, quanta est Ecclesiæ Catholicæ. II. Quia ut alibi ait, Dandum est Deum aliquid posse quod fateamur nos investigare non posse, in talibus enim rebus tota ratio facti, est ipsa potentia facientis. III. Quia tot signis & argumentis fidei Catholicæ veritas confirmatur, ut nolle ei primas dare, vel summa profecto impietatis sit vel præcipitis arrogancia, & possimus usurpare illud Rich. de S. Victore: Domine, si error est quod credimus,

V. I. 2 de
doct. Chr.

et de
util. cred.

Epist. 3.

I. 1 de
Trinit. 6.

dimus, à te decepti sumus : ista enim in nobis iis signis & prodigiis confirmata sunt, qua non nisi à te fieri potuerunt.

2. Sicut S. D. optime colligit Deum nullo modo fuisse tributurum tam excellentem Scripturæ per omnes terras autoritatem, nisi & per ipsam credi, & per ipsam se queri voluisse, ita nec Ecclesiam Catholicam tot signis ac argumentis veræ fidei illustrasset, nisi ea vera esset. Vnde Scripturæ expositionem ab ea merito petendam esse, concludit, & egregie alibi ait : *Cur non igitur diligentissime apud eos (Catholicos) requiram, quid Christus præcepit, quorum auctoritate commotus, Christum aliquid utile præcepisse jam credidi? Tune melius mihi expositurus es, quid ille dixerit, quem fuisse aut esse non putarem, si abs te hoc mihi commendaretur esse credendum, & non in Scripturis ab Ecclesia Catholica traditis contineretur?*

de util.
cred.c. 14.

C A P. VI.

*Laudes Imperatori recitaturus, viso mendo-
co saturo jocante, ambitionis ærumnas
latitiæ steriles deploravit.*

- I. *I*nhiabam honoribus, lucris, conjugio, & tu irridebas. Patiebar in eis cupiditatibus amarissimas difficultates, te propitio tanto magis, quanto minus sinebas mihi dulcescere, quod non eras tu. Vide cor meum Domine, qui voluisti, ut hoc recordarer, & confiterer tibi. Nunc tibi inhæreat anima mea, quam de visco tam tenaci mortis exuisti. *Quam* misera erat, & sensum vulneris tu pungebas ; ut relictis omnibus converteretur ad te, qui es super omnia, & sine quo nulla essent omnia : convertereatur & sanaretur ! *Quam* ergo miser eram ! & quomodo egisti, ut sentirem miseriam meam die illo, quo a cum pararem recitare

I

Impe-

Imperatori laudes , quibus plura mentirer,
& mentienti faveretur ab scientibus : eas-
que curas anhelaret cor meum, & cogitatio-
num tabifcarum febris astuaret : transi-
ens per quendam vicum Mediolanensem ,
animadvertis pauperem mendicem, jam cre-
do saturum , jocantem atque latantem : &
ingemui , & locutus sum cum amicis , qui
mecum erant, multos dolores insaniarum
nostrarum : quia omnibus talibus conatibus
nostris (qualibus tunc laborabam , sub sti-
mulis cupiditatum trahens infelicitatis meę
farcinam, & trahendo exaggerans) nihil vel-
Iemus aliud , nisi ad securam latitiam per-
venire, quo nos mendicus ille jam precessis-
set, nunquam illuc fortasse venturos. Quod
enim jam ille pauculis , & emendicatis
nummulis adeptus erat , ad hoc ego tam
eternosis anfractibus & circuitibus am-
biebam , ad latitiam scilicet temporalis fe-
licitatis.

2. Non enim verum gaudium habebat,
sed & ego illis ambitionibus multo falsius
quarebam. Et certe ille latabatur, ego an-
xius eram : securus ille, ego trepidus. Et si
quisquam percunctaretur me, utrum mallem
exultare an metuere ? responderem exul-
tare. Rursus , si interrogaret , utrum me ta-
lein mallem, qualis ille , an qualis ego tunc
essem ? meipsum curis timoribusque con-
fectum eligerem ; sed perversitate ; nun-
quid veritate ? Neque enim eo me propo-
nere illi debebam, quo doctior eram : quo-
niā non inde gaudebam , sed placere inde
quarebam hominibus , non ut eos doce-
rem , sed tantum ut placerem. Propterea
& tu

& tu baculo disciplinæ tuæ confringebas
ossa mea.

3. Recedant ergo ab anima mea , qui dicunt ei : Interest, unde quis gaudeat. Gaudiebat mendicus ille violentia , tu gaudere cupiebas gloria. Quæ gloria Domine ? Quæ non est in te. Nam sicut verum gaudium illud non erat , ita nec illa vera gloria : & amplius evertebat mentem meam. Et ille ipsa nocte digesturus erat ebrietatem suam: ego autem cum mea dormieram & surrexeram , & dormitus & surrectus eram. Vide quot diebus ! Interest vero, unde quis gaudeat. Scio ; & gaudium spei fidelis incomparabiliter distat ab illa vanitate; sed & tunc distabat inter nos. Nimirum quippe ille fœlicior erat , non tantum quod hilariitate perfundebatur, cum ego curis eviscarer : verum etiam, quod ille bene optando acquisiverat vinum , ego autem mentiendo quærebam typhum. Dixi tunc multa in hac sententia caris meis , & saepè advertebam in his quomodo mihi esset : & inveniebam male mihi esse , & dolebam , & conduplicabam ipsum male. Et si quid arrisisset prosperum , tædebat apprehendere : quia pena, priusquam teneretur, avolabat.

N O T Æ.

² Cum pararem recitare Imperatoris laudes) sive Panegyricum Kalendis Ianuariis , cum Bauto Mediolani; l. 3. adversus Arcadios vero Imperator Constantinopoli consulatam suis literas inirent , ut S. D. alibi testatur. Ea oratione Petil. cap. laudes in primis ipsius Imperatoris, tum Bauto-²⁵⁴ nis complexus est , quod contigit teste Baronio A. C. 335.

V S V S.

**Ierem. 2.
19, 13.**

1. Signum est futuræ conversionis, in voluptatibus & vanitatibus conscientiæ stimulis agitari, & experiri, quam amarum sit relinquere Dominum Deum, ac fodere sibi cisternas dissipatas in creaturis. Hoc sentit S. D. qui vero tranquille in bonis hujus vitæ degunt, cum Augustino peccant, non vero cum illo convertuntur.

2. Omne gaudium de creaturis vanum est & miserum, imo tanto miserius, quanto hominum iudicio maius est, quod hoc cap. egregie declarat S. D. Vbi ostendit se vanæ ambitionis naufragiam concepisse, tum ob inordinati affectus acerbitudinem, tum quia et si quid arrisisset prospicuum, pene priusquam teneretur, avolabat, quæ sane causa generoso animo sufficit ad contemptum rerum humanarum.

C A P. V I I.

Quomodo non cogitans, Alipium mordaci irrisione à Circensium insania revocarit, & Manichaorum Superstitione involvebit.

1. **C**ongemiscebamus in his, qui simul amice vivebamus; & maxime ac familiarissime cum Alipio & Nebridio, ista colloquebar; quorum Alipius ex eodem erat quo ego, ortus municipio, parentibus municipalibus, me minor natu. Nam & studuerat apud me, cum in nostro docere cœpi oppido, & postea Carthagine. Et diligebat me multum, quod ei bonus & doctus viderer: & ego illum propter magnam virtutis indolem, quæ in non magna ætate, sat eminebat. Gurses tamen morum Carthaginensium, quibus nugatoria fervent specta-

spectacula, absorbuerat eum & insania Cir-
censium. Sed cum in eo miserabiliter vol-
veretur, ego autem Rheticam ibi profes-
sus, publica schola uterer, nondum me au-
diebat ut magistrum, propter quandam si-
multatem, quæ inter me & patrem ejus erat
exorta. Et compereram, quod Circum exi-
tiabiliter amaret: & graviter angebar, quod
tantam spem perditurus, vel etiam perdidis-
se mihi videbatur. Sed monendi eum, &
aliqua coercitione revocandi nulla erat co-
pia, vel amicitiæ benevolentia, vel jure ma-
gisterii. Putabam enim eum de me, cum pa-
tre sentire: ille vero non sic erat. Itaque
postposita in hac re patris voluntate, saluta-
re me cœperat, veniens in auditorium me-
um, & audire aliquid atque abire. Sic enim
de memoria mihi lapsum erat agere cum
illo, ne vanorum ludorum cæco & præcipiti
studio, tam bonum interimeret ingenium.

2. Verum autem Domine, tu qui præsi-
des gubernaculis omnium, quæ creasti, non
eum oblitus eras futurum inter filios tuos,
bantistitem sacramenti tui. Et ut aperte ti-
bi tribueretur ejus correctio, per me qui-
dem illam, sed nescientem, operatus es.
Nam quodam die cum sederem loco soli-
to, & coram me adessent discipuli, venit,
salutavit, sedit: atque in ea, quæ ageban-
tur, animum intendit. Et forte lectio in ma-
nibus erat, quam dum exponerem, oppor-
tune mihi videbatur adhibenda similitudo
Circensium: quo illud, quod insinuabam,
& jucundius & planius fieret, cum irrisione
mordaci eorum, quos illa captivasset insa-
nia. Tu scis Deus noster, quod tunc de Ali-

pio ab illa peste sanando non cogitaverim.
At ille in se rapuit, meque illud non nisi
propter se dixisse credidit. Et quod alius
acciperet ad succensendum mihi, accepit
honestus adolescens ad succensendum sibi,
& ad me ardentius diligendum. Dixeras
enim tu jam olim, & innexueras literis tuis:

Prov. 9,8. Corripe sapientem, & amabit te.

3. At ego illum jam non corripueram.
Sed uteris tu omnibus & scientibus, & ne-
scientibus, ordine quo nosti, & ille ordo ju-
stus est. De corde & lingua mea carbones
ardentes operatus es, quibus mentem spei
bonæ adureres tabescerent, ac sanares. Ta-
ceat laudes tuas, qui miserations tuas non
considerat, quæ tibi de medullis meis con-
fidentur. Etenim ille post illa verba, pro-
puit se ex fovea tam alta, qua libenter de-
mergebatur, & cum miserabili voluptate
cæcabatur: & excussit animum forti tempe-
rantia, & resiluerunt omnes Circensium
fordes ab eo, ampliusque illuc non accessit.
Deinde patrem reluctantem evicit, ut me
magistro uteretur. Cessit ille, atque conces-
sit. Et audire me rursus incipiens, illa me-
cum superstitione involutus est: amans in
Manichæis ostentationē continentia, quam
veram & germanam putabat. c Erat autem
illa vecors & seductoria, preciosas animas
captans, nondum virtutis altitudinem scien-
tes tangere, & superficie decipi faciles, sed
tamen adumbratae simulataeque virtutis.

N O T A.

a *Insania Circensium* hos ludos Romæ primus fe-
cit Romulus quarto mense ab urbe condita, quo
die Sabinas rapuit. Locus Circus appellabatur,
inde

inde nomen Circensium; pugnabant in iis equi & pugiles. Ex Urbe in provincias hi ludi migrarunt. Eos spectandi insano amore captus fuit Alipius adolescens, Carthagine Augustini familiaris, & in Rhetorica auditor.

- b Antistitem Sacramenti tui) creatus est enim postea Alipius Episcopus Tagastensis, & patriæ suæ pastor A. C. 394. ut censem Bar. & colligi potest ex ep. 8. S. August. quam hoc anno ad S. Hieronymum dedit. Per Sacramentum intelligit mysteria fidei Catholicæ, quæ explicare & prædicare proprium est Episcoporum.
- c Erat autem illa vecors & seductoria) Fallacem & simulatam Manichæorum, etiam eorum, qui Electos se nominant, probitatem, alibi egregie depingit. Novem annos totos, inquit, magna cura & lib. de mendicentia eos audiri, nullus mihi Electorum innotescere potuit, qui secundum hæc præcepta (prius enumerata) non aut deprehensus in peccato, aut certe suspicioni subditus fuerit. Multi in vino & carnibus (quas Electis contingere nefas erat) multi lavantes in balneis inventi sunt, &c. Larvata nimurum hæreticorum non solum est doctrina, verum & vita.

V S V S.

1. Quam multi adolescentes studio vanorum ludorum bonum ingenium interimunt, nec tamen Augustinos instar Alippi audiunt, utinam discent ab ipso bene inonentibus obtemperare!
2. Expende divinæ providentiae erga electos suos Sapientiam, quæ utitur omnibus & scientibus, & nescientibus, ad eorum profectum & emendationem, ordine mirabili & justo. Ita Augustinus veluti joco sanavit minorem Alippi insaniam, quem tamen in majorem postea conjecit, dum illum Manichæorum superstitione involvit.

C A P. VIII.

*Eundem Alipium Romæ, cum familiari violentia ad Amphitheatrum pertractus es-
set, repente insano ludorum gladiatorio-
rum amore fuisse correptum.*

1. **N**on sane relinquens incantatam sibi
a parentibus a terrenam viam, Ro-
mam præcesserat, ut jus disceret; & ibi
gladiatorii spectaculi hiatu incredibili, &
incredibiliter abreptus est. Cum enim aver-
saretur & detestaretur talia, quidam ejus
amici & condiscipuli, cum forte de prandio
redeuntibus obvius esset: recusantem ve-
hementer & resistenter, familiari violentia
duxerunt in amphitheatrum crudelium &
funestorum ludorum diebus, hæc dicen-
tem: *Si corpus meum in illum locum trahitis &
ibi constituitis: numquid & animum, & oculos
meos, in illa spectacula potestis intendere? Adero
itaque absens, ac sic & vos, & illa superabo.* Qui-
bus auditis, illi nihilo segnius eum adduxe-
runt secum, id ipsum forte explorare cupien-
tes, utrum posset efficere. *Quo ubi ventum
est, & sedibus, quibus potuerunt, locati
sunt, fervebant omnia immanissimis volu-
ptatibus.*

2. Ille autem clausis foribus oculorum,
interdixit animo, ne in tanta mala procede-
ret, atque utinam & aures obturavisset!
Nam quodam pugnæ casu, cum clamor in-
gens totius populi vehementer eum pulsas-
set, curiositate victus, & quasi paratus quic-
quid illud esset, etiam visum contemnere &

vin-

vincere, aperuit oculos : & percussus est graviore vulnere in anima, quam ille in corpore, quem cernere concupivit : ceciditque miserabilius, quam ille, quo cadente, factus est clamor, qui per ejus aures intravit, & reseravit ejus lumina, ut esset, qua feriretur & dejiceretur : audax adhuc potius, quam fortis animus, & eo infirmior, quo de se presumperat, qui debuit de te. Ut enim vidit illum sanguinem, immanitatem simul ebit, & non se avertit : sed fixit aspectum, & hauriebat furias, & nesciebat : & delectabatur scelere certaminis, & cruenta voluptate inebriabatur. Et non erat jam ille, qui venerat ; sed unus de turba, ad quam venerat ; & verus eorum socius, à quibus adductus erat. Quid plura ? Spectavit, clamavit, exarsit ; abstulit inde secum insaniam, qua stimularetur redire : non tantum cum illis, à quibus prius abstractus est, sed etiam præ illis, & alios trahens. Et inde tamen manu validissima & misericordissima eruisti eum Tu ! & docuisti eam non sui habere, sed tui fiduciam ; sed longe postea.

N O T A E.

a Terrenam viam) honoris & vanitatis, quam parentes filio suo vaniores, à puerō incantaverant & persuaserant : ut non cælestia, sed terrena saperet, more etiam hodie plurimis parentum solenni.

b Gladiatoris spectaculi) Immanis erat horum spectaculorum crudelitas ; nam in iis se Gladiatoris mutuo jugulabant, in id educati & saginati : ut adeo tales ludos dare & spectare scelus esset, quos deniq; Theodoricus Gotthorum Rex sustulit. Ab iis spectandis Christianos vehementer abhorrere debebant.

V. Ter
tull. l. de
Spectacu
lis c. de
numere,

V S V S.

V. I. 2, c.
§, & 9.

I. Insigne documentum præbet Alipius, quam
necessæ sit adolescenti probo, resistere improbis
sociorum postulatis. Nec sponte, nec solus lu-
dos gladiatoriæ accessisset Alipius. Certe mul-
ti, postquam cauponam aliaque loca noxia, in
sociorum gratiam adeunt, non redeunt tales inde,
quales venerant, sed veri eorum socii à quibus adduci-
erant, &c.

2. Doctus à Deo Alipius, docet Adolescentes
non sui, sed Dei habere fiduciam, nec se pericu-
lis temere exponere. Vana est illa vox, & falsa:
Adero turpis verbis, at rebus absens: ac sic & vos,
& illa superabo; audacis potius, quam fortis ani-
mi est ista præsumptio. Spectavit miser Alipius,
clamavit, exarsit, abstulit secum infaniam, qui
memor esse debuit infirmitatis suæ, quam Car-
thaginæ in Iudis Circensibus expertus erat.

C A P. IX.

*Vt idem Alipius Carthaginæ profure com-
prehensus sit, & tandem furti suspicione
liberatus.*

I. **V**eruntamen, jam hoc ad medicinam
futuram, in ejus memoria reponeba-
tur. Nam & illud, quod (cum adhuc stude-
ret, jam me audiens apud Carthaginem, &
medio die cogitaret in foro, quod recitat-
rus erat, sicuti exerceri scholastici solent)
sivisti eum comprehendendi & ab ædituis fori,
tanquam furem: non arbitror aliam ob cau-
sam te permisisse Deus noster, nisi ut ille vir-
tantus futurus, jam inciperet discere, quam
non facile in cognoscendis causis, homo ab
homine damnandus esset temeraria credu-
litate. Quippe ante tribunal deambulabat
solus b cum tabulis ac stylo; cum ecce ado-
lescens

lescens quidam ex numero scholasticorum
fūr verus, securim clanculo apportans, illo
non sentiente, ingressus est ad cancellos
plumbeos, qui vico argentario desuper præ-
minent, & præcidere plumbum cœpit. So-
no autem securis audito, submurmurave-
runt argentarii, qui subter erant: & mise-
runt, qui apprehenderent, quem forte inve-
nissent. Quorum vocibus auditis, reliquo
instrumento ille discessit, timens ne cum eo
teneretur.

2. Alipius autem, qui non viderat intran-
tem, exeuntem sensit, & celeriter vidi ab-
euntem. Et causam scire cupiens, ingressus
est locum, & inventam securim stans atque
admirans considerabat. Cum ecce illi, qui
missi erant, reperiunt eum solum ferentem
ferrum, cuius sonitu excitati venerant. Te-
nent, attrahunt, congregatis inquiliinis fori,
tanquam furem manifestum se comprehen-
disse gratulabantur; & inde offerendus ju-
dici ducebatur. Sed hactenus docendus fuit.
Statim enim Domine subvenisti innocentem,
cuius testis eras tu solus. Cuin enim ducere-
tur, vel ad custodiam, vel ad supplicium: fit
eis obviam quidam architectus, cuius maxi-
ma erat cura publicarum fabricarum. Gau-
dent illi eum potissimum occurrisse, cui so-
lebant in suspicionem venire ablatarum re-
rum, quæ perissent de foro: ut quasi tandem
jam ille cognosceret, à quibus hæc fierent.

3. Verum autem viderat homo sāpe Ali-
pium in domo cuiusdam Senatoris, ad
quem salutandum ventitabat. Statimq; co-
gnitum, manu apprehensa semovit à turbis,
& tanti mali causam quærens, quid gestum

I 6 esset,

effet, audivit. Omnesque tumultuantes, qui aderant, & minaciter frementes, jussit venire secum. Et venerunt ad dominum illius adolescentis, qui rem commiserat. Puer vero erat ante ostium: & tam parvus erat, ut nihil exinde Domino suo metuens, facile posset totum indicare. Cum eo quippe in foro fuit pedissequus. Quem postea quam recoluit Alipius, architecto intimavit. At ille securim demonstravit pueru, quarens ab eo, cuius esset? Qui confestim nostra, inquit. Deinde interrogatus, aperuit cætra. Sic in illam domum translata causa, confusisque turbis, quæ de illo triumphare jam cœperant, futurus dispensator verbi tui, & multarum in Ecclesia tua causarum examinator, experientior instructiorque discessit.

N O T A E.

- l. 12. c. 10. a) *Ab adituis fori*) Æditius passim sumitur pro ^{en} stode sacra ædis; ipsa tamen vocis derivatio, convenit custodibus quarumvis ædium etiam profanarum; sic adituentes, apud Gellum dicuntur, qui ædes & loca tuentur. Quo sensu æditios hic accipi crediderim pro custodibus ædificiorum fori, sive forte Ædilibus.
- b) *Cum tabulis & stylo*) utebantur ea ætate etiamnum tabellis cera inductis, iisque stylo aereo, vel ex altero metallo, inscribebant. Sic Alipius orationem in scholis recitandam scriptitabat, vel emendabat.

V S V S.

1. Vsum ipse S. D. exprimit, ut nempe Alipius disceret, & nos suo exemplo doceret, quam non facile in cognoscendis causis homo ab homine damnandus sit, temeraria credulitate judicii, siue publici, siue privati.
- Eccles. 34. 2. Salubre est infortunia & afflictiones experiri, qui enim non est tentatus, quid scit? hinc aliis remedium & consilium ferre discimus, ac commiseratio-

lerationis affectum induimus; sine quo nemo recte imperat, vel judicat.

C A P. X.

*Alipium justitiae amantissimum fuisse, &
una cum Nebridio Mediolanum venisse,
ut secum pariter veritati indagande va-
carent.*

I. a **H**unc ergo Romæ inveneram, &
adhæsit mihi fortissimo vinculo,
mecumque Mediolanum profectus est: ut
nec me desereret, & de jure, quod didice-
rat, aliquid ageret, secundum votum paren-
tum magis, quam suum. Et inter hæc b jam
assederat mirabili continentia cæteris, cum
ille magis miraretur eos, qui aurum inno-
centiæ præponerent. Tentata est quoque
eius indoles, non solum illecebra cupidita-
tis, sed etiam stimulo timoris. Romæ assi-
debat c Comiti largitionum Italicarum.

2. Erat eo tempore quidam potentissimus senator, cuius & beneficiis obstricti multi, & terrori subditi erant. Voluit sibi licere, nescio quid ex more potentiae suae, quod esset per leges illicitum. Restitit Alipius; promissum est præmium, irrisit animo; prætentæ minæ, calcavit; mirantibus omnibus inusitatam animam, quæ hominem tantum, & innumerabilibus præstandi nocendique modis ingenti fama celebratum, vel amicum non optaret, vel non formidaret inimicum. Ipse autem Iudex, cui consiliarius, quamvis & ipse fieri nollet, non tamen aperte recusabat: sed in istum

causam transferens, ab eo se non permitti asserebat; quia revera, si ipse faceret, iste discederet. Hoc solo autem pene jam ille. ^{Et}ius erat studio literario, ut pretiis prætorianis codices sibi conficiendos curaret. Sed consulta justitia, deliberationem in melius vertit: utiliorem judicans æquitatem, qua prohibebatur, quam potestatem, qua sinebatur. Parvum est hoc; ^{Luc. 16,} ^{10, 11, 12.} Sed qui in parvo fidelis est, & in magno fidelis est. Nec illo modo erit inane, quod de tuæ veritatis ore processit: *Si in injusto mammona fideles non fuistis, quod verum est, quis crederet vobis? Et si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est, quis dabit vobis?* Talis ille tunc inhærebat mihi, mecumque nutabat in consilio, quisnam esset tenendus vitæ modus.

3. Nebridius etiam (qui relicta patria vicina Carthagini, atque ipsa Carthagine, ubi frequentissimus erat: relicto rure paterno optimo, relicta domo, & non secutura matre, nullam ob aliam causam Mediolanum venerat, nisi ut mecum viveret, in flagrantissimo studio veritatis atque sapientię) pariter suspirabat, pariterque fluctuabat: beatæ vitæ inquisitor ardens, & quæstionum difficillimarumscrutator acerrimus. Et erant orationum egentium, & inopiam suam sibimet invicem anhelantium, & à te expectantium,
^{Psal. 144.} ^{15.} *ut dares eis escam in tempore opportuno.* Et in omni amaritudine, quæ nostros seculares actus de misericordia tua sequebatur, intuentibus nobis finem, cur ea pateremur, occurribant tenebræ. Et aversabamur gementes, & dicebamus: quamdiu hæc? Et hoc crebro dicebamus: & dicentes, non relinquebamus ea;

ea; quia non elucebat certum aliquid, quod
illis relictis apprehenderemus.

N O T A E.

- a *Hunc ergo Roma inveneram*) Tandem redit ad se-
riem vitæ Mediolani actæ, in consuetudine Ali-
pii & Nebridii. Quæ enim c. 7. 8. 9. & initio
hujus narrat: ea Alipio partim Carthagine, par-
tim Romæ evenerunt.
- b *Iam assederat*) id est, *assessorem*, sive *consiliarium*
egerat. Est in jure titulus de *officio assessorum*, ex l. 1. ff. t.
quo apparet illos fuisse consiliarios judicium,^{22.}
eorumque, qui provinciis præerant. Constat au- l. 1. omne
tem officium *assessoris*, ut ibi habetur, *in cognitioni- officium.*
bus postulationibus, libellis, edictis, decretis, epि-
fiosis.
- c *Comiti largitionum Italicarum*) quem paulo infra,
judicem appellat. Erat autem *Comes largitionum*,
teste Cassiodoro *governator private Substantie prin-* lib. 6, *in*
xipis, sive qui thesauris sacris, id est, Imperatoriis & formulis.
Angustalibus pecunias præerat: vel qui liberalitatis
& donorum curam gerebat. Dictus etiam est Comes
sacrarum largitionum, hic vero Italicarum, quia per
Italiā munus exercebat.

V S V S.

1. Egregium justitiæ exemplum munerumque
contemptum ostendit Alipius, quem utinam
imitarentur omnes consiliarii, nec tam loculis
suis, quam saluti suæ, & alienæ miseriæ con-
sulerent! & potius principi injusta facienti vel
permittenti, renunciarent obsequium, quam
Deo!
2. Politica vafritie comes illè usus est; invidiam
enim sententiaz contra Senatorem prolatæ, in
Alipium transtulit, causans eum à se discessurum si
aliter pronuntiasset. Sic non raro Magistratus qui
homines magis quam Deum reverentur, seve-
riores leges & bono publico necessarias, viris
religiosis ac piis adscribunt, maluntque homi-
num invidiam, quam Dei indignationem de-
clinare.

3. Altera

3. Alterum integerrimi animi specimen edidit Alipius, quod nollet *prætorianis pretiis amplius codices sibi conficiendos curare*, quia nempe metuebat ea pretia ex inquis forte sententiis collecta, aut suspicioni vel cupiditati occasionem præbitura, ne plura æquo vel appeteret, vel acciperet librorum parandorum obtentu. Expendant hoc exemplum, qui pecuniæ plus student, quam iustitiae.
4. Videtur Deus respexisse S. Augustinum, ejusque socios ob desiderium Veritatis, & Sapientiæ. Quia enim tam ardenter esuriebant & sitiabant iustitiam, ideo saturati tandem fuerunt dulcedine rerum cœlestium, post amaritudinem, quæ sequebatur actus illorum seculares.

C A P. XI.

Recenset suum hucusque in studio Sapientia progressum, à quo vana spe, & concupiscentia carnis, maxime retardabatur.

I. E T ego maxime mirabar, satagens & recolens, quam longum tempus esset ab undevicesimo anno ætatis meæ, quo ferre cœperam studio sapientiæ: disponens ea inventa, relinquere omnes vanarum cupiditarum spes inanes & insanias mendaces. Et ecce jam a tricenariam ætatem gerebam, in eodem luto hæsitans! aviditate fruendi præsentibus, fugientibus & dissipantibus me, dum dico: Cras inveniam; ecce manifestum apparebit, & tenebo; &, ecce Faustus veniet, & exponet omnia. O magni viri Academici, nihil ad agendum vitam certi comprehendi potest! Imo quæramus diligentius, & non desperemus. Ecce jam non sunt absurdâ in libris ecclesiasticis, quæ absurdâ videbantur, & possunt aliter atque honeste

honeste intelligi. Figam pedes in eo gradu,
in quo puer à parentibus positus eram , do-
nec inveniatur perspicua veritas.

2. Sed ubi quæretur ? quando quæretur ?
Non vacat Ambrosio ; non vacat legere. Vbi
ipsoſ codices quærimus ? Vnde aut quando
comparamus, à quibus sumimus ? Deputen-
tur tempora ; distribuantur horæ pro salute
animæ. b Magna ſpes oborta eſt. Non do-
cet catholica fides, quod putabamus, & va-
ni accusabamus. Nefas habent docti ejus ,
credere Dæum figura humani corporis ter-
minatum ; & dubitamus pulsare, quò ape-
riantur cætera ? Antemeridianas horas di-
ſcipuli occupant ; cæteris quid facimus ?
Cur non id agimus ? Sed quando ſalutamus
amicos maiores, quorum ſuffragiis opus ha-
bemus ? c Quando præparamus, quod e-
mant ſcholaſtici ? Quando reparamus nos
ipſoſ, animum relaxando ab intentione ci-
tarum ? Pereant omnia, & dimittamus hæc
vana & inania ; conferamus nos ad ſolam
inquisitionem veritatis. Vita hæc miſera eſt,
mors incerta. Si ſubito obrepat : quomodo
hinc exibimus ? Et ubi nobis diſcenda ſunt,
quæ hic negleximus ? an non potius hujus
negligentia ſupplicia luenda ſunt ? Quid ſi
mors ipſa omnem curam cum ſenu ampu-
tabit, & finietur ? Ergo & hoc quærendum.
Sed abſit, ut ita ſit. Non vacat, non eſt ina-
ne, quod tam eminens culmen autoritatis
Christianæ fidei , toto orbe diffunditur.
Nunquam tanta & talia, pro nobis divinitus
agerentur, ſi morte corporis etiam vita ani-
mæ consumeretur. Quid cunctamur igitur
relieta ſpe ſeculi, conſerre nos totos ad
quæ-

210 S. AVR. AVGVST. CONFES.

quærendum Deum, & vitam beatam?

3. Sed exspecta, jucunda sunt etiam ista, habent non parvam dulcedinem suam. Non facile ab eis præcidenda est intentio, quia turpe est ad ea rursum redire. Ecce jam quantum est, ut impetretur aliquis honor! & quid amplius in his desiderandum? Suppetit amicorum majorum copia, ut nihil aliud, & multum festinemus; vel præsidatus dari potest; & ducenda uxor cum aliqua pecunia, ne sumptum nostrum gravet: & ille erit modus cupiditatis. Multi magni viri & imitatione dignissimi, sapientiae studio cum conjugibus dediti fuerunt.

4. Cum hæc dicebam, & alternabant himenti, & impellebant huc atque illuc cor meum; transibant tempora, & tardabam converti ad Dominum Deum; & differebam de die in diem vivere in te, & non differebam quotidie in memetipso mori. Amans beatam vitam, timebam illam in sede sua, & ab ea fugiens, quarebam eam. Putabam enim me miserum fore nimis, si feminæ privarer amplexibus: & medicinam misericordiæ tuæ, ad eandem infirmitatem sanandam, non cogitabam, quia expertus non eram. Et propriarum virium credebam esse continentiam, quarum mihi non eram conscientius: cum tam stultus essem, ut nescirem, sicut scriptum est:

Sap. i, 21. Neminem esse posse continentem, nisi tu dederis. Vtique dares, si gemitu interno pulsarem aures tuas, & fide solida in te jactarem curam meam.

N O

N O T A E.

- a Tricenariam ætatem gerebam) apparebat eum hoc libro complecti acta ætatis suæ anno trigesimo , uti libro priore annum undetrigesimum descripsierat.
- b Magna spes suborta est) reperiendæ scilicet veritatis, cui jam in secundo gradu , agnoscens veteres scripturas, proximior erat , ac inde conjecturam non vanam faciebat , se cætera quoque ad salutem necessaria , in Ecclesia Catholica repertrum , quæ ipsi Manichæorum fallacias contra veteres Scripturas detexerat.
- c Quando præparamus , quod emant Scholastici) lectio-nes nempe Rhetoricas , quas Augustinus vendebat discipulis : quia non dabat gratis, quod gratis acceperat, sed pro salario docebat eos, quibus placeret emere eloquentiam.

V S V S.

1. S. D. argumentum validum visum fuit pro immortalitate animæ , eminentis culmen Christianæ fidei toto orbe diffusa . Et sane demonstrant animo non obstinato, tot ac tanta, quæ in Ecclesia Catholica , & pro illa gesta sunt ac geruntur , eam à Dei providentia gubernari.
2. Augustino continentia intolerabilis erat , quia propriis eam viribus nancisci conabatur , mox facilem experturus , si à Deo petiisset ; sic multa saepe nostris viribus impossibilia apparet , quæ oratione & fiducia in Deum facilia redduntur.

C A P.

C A P. XII.

*Calibem vitam sibi visam intolerabilem,
Alipium vero autoritate sua motum, in
desiderium conjugii venisse.*

1. Rohibebat me sane Alipius ab uxore ducenda, causans nullo modo nos posse seculo ocio, simul in amore sapientiae vivere, sicut jam diu desideraveramus, si id fecisset. Erat enim ipse in ea re etiam nunc castissimus, ita ut mirum esset: quia vel experientiam concubitus cooperat in ingressu adolescentiae sue, sed non haeserat, magisque doluerat, & spreverat; & deinde jam continentissime vivebat. Ego autem resistebam illi exemplis eorum, qui conjugati coluisserant sapientiam, & promeruisserant Deum, & habuissent fideliter, ac dilexissent amicos. A quorum ego quidem granditate animi, longe aberam: & delectatus morbo carnis, & mortifera suavitate trahebam catenam meam, solvi timens: & quasi concusso vulnere, repellens verba bene suadentis, tanquam manum solventis.

2. Insuper etiam per me, ipse quoque Alipio loquebatur serpens: & innectebat atque spargebat per linguam meam, dulces laqueos in via ejus, quibus illi honesti & expediti pedes implicarentur. Cum enim me ille miraretur, quem non parvipenderet, ita hærere visco illius voluptatis, ut me affirmarem, quotiescumque inde inter nos quereremus, cœlibem vitam nullo modo posse degere: atque ita me defenderem, cum illum

lum mirantem viderem, ut dicerem multum interesse inter illud, quod ipse raptim & furtim expertus esset, quod pene jam nec meminisset quidem, atque ideo nulla mollesia facile contemneret, & delectationes consuetudinis meæ: ad quas si accessisset honestum nomen matrimonii, non eum mirari oportere, cur ego illam vitam nequirem spernere. Cœperat & ipse desiderare conjugium, nequaquam victus libidine talis voluptatis, sed curiositatis. Dicebat enim scire se cupere, quidnam esset illud, sine quo vita mea, quæ illi sic placebat, non mihi vita, sed poena videretur.

3. Stupebat enim liber ab illo vinculo animus servitutem meam, & stupendo ibat in experiendi cupidinem, venturus in ipsam experientiam: atque inde fortasse lapsurus in eam, quam stupebat servitutem, quoniam sponzionem volebat facere cum morte; &, qui amat periculum, incidet in illud. Neutrum Eccles. 3. enim nostrum, si quod est conjugale decus,^{27.} in officio regendi matrimonii, & suscipiendorum liberorum ducebat, nisi tenuiter. Magna autem ex parte, atque vehementer consuetudo satiandæ insatiabilis concupiscentiæ, me captum excruciat, illum autem admiratio capiendum trahebat. Sic erramus, donec tu altissime & non deserens humum nostrum, miseratus miseros, subvenires miris & occultis modis,

N O T A.

² Non deserens humum nostrum) corpus de limo & humo sive terra factum, quod nisi divinæ gratiæ rore identidem aspergatur, exarescit, & exardecit in pravas libidines.

V S V S.

V S V S.

Rursus argumentum se offert detestandi periculosa
sam amicitiam, quæ castum Alipiūm prope præ-
cipitasset in compedes uxorias. Tanto pericu-
losior est amicus improbus , quanto majoris
est autoritatis & opinionis , ut apparet in Ali-
pio.

C A P. XIII.

*Matrem sibi uxorem sollicite procurasse. nul-
lum tamen de matrimonio futuro , à Deo
visum ei obtigisse.*

1. E T instabatur impigre , ut ducerem
uxorem. Iam petebam , jam promit-
tebatur, maxime matre dante operam , quo
me jam conjugatum baptismus salutaris ab-
lueret : quo me in dies gaudebat aptari , &
vota sua ac promissa tua , in mea fide com-
pleri animadvertebat. Cum sane & rogatu
meo , & desiderio suo , forti clamore cordis
abs te deprecaretur quotidie , ut ei per vi-
sum ostenderes aliquid de futuro matrimo-
nio meo, nunquam voluisti.

2. Et videbat quædam vana & phantasti-
ca , quo cogebat impetus de hac re satagen-
tis humani spiritus : & narrabat mihi, non
cum fiducia qua solebat,cum tu demonstra-
bas ei ; sed contegnens ea. Dicebat enim
discernere se nescio quo sapore , quem ver-
bis explicare non poterat,quid interesset in-
ter revelantem te , & animam suam somni-
antem. Instabatur tamen, & puella peteba-
tur,cujus ætas ferme biennio minor , quam
nubilis erat. Et quia ea placebat , expecta-
batur.

V S V S.

V S V S.

1. *Dissipat Dominus non solum consilia principum, ps. 32, 18,
et cogitationes populorum, verum et parentum ac
propinquorum. Consilium autem illius manet in
eternum, quo Electis suis certa media ad salutem
præordinavit. Quia in re S. Monica quoque,
et si animo bono, erravit: filium conjugio de-
stinans, quem Deus sublimiori statui præpara-
bat.*
2. *Inter alia signa, quibus veræ revelationes à
falsis discernuntur, præcipuum est, interna in-
spiratio, qua certior fit anima, utrum ex Deo sit
aliquid, an ex Diabolo. Et hic est ille sapor, Deprobar.
quem S. Monica explicare non poterat, ut obser- spirit. De
vat Gerson, qui plura indicia affert, & alibi re- disting.
velationes ad similitudinem monetæ aureæ ver. à falsi
quinque indiciis dijudicandas censet. I. Pondere,
II. Flexibilitate, III. Durabilitate, IV. Con-
figuratione, V. Colore. Pondus revelationi dat hu-
militas, discretio flexibilitatem, patientia durabilitan-
tem, veritas configurationem, caritas colorem, qui vi-
sioni Monicæ de matrimonio filii sane defuit,
nam humanum & carnalem Spiritum sapiebat.*

C A P. XIV.

*Statuisse se cum quibusdam amicis in com-
muni vivere, verum id consilium conju-
galis vita causa, dissipatum.*

- I. *E T multi amici agitaveramus animo,
& colloquentes ac detestantes turbu-
lentas humanæ vitæ molestias, pene jam
firmaveramus remoti à turbis ociose vivere:
id otium sic moliti, ut si quid habere posse-
mus, conferremus in medium, unamque
rem familiarem conflaremus ex omnibus;
ut per amicitiæ synceritatem, non esset
aliud hujus, & aliud illius; sed quod ex cun-
ctis*

Etis fieret unum, & universum singulorum esset, & omnia omnium: cum videremur nobis esse posse decem ferme homines in eadem societate, essentque inter nos prædites, a Romanianus maxime communiceps noster, quem tunc graves æstus negotiorum suorum ad comitatum attraxerant, ab ineunte ætate mihi familiarissimus. Qui maxime instabat huic rei, & magnam in suadendo habebat autoritatem, quod amplares ejus multum cæteris anteibat.

2. Et placuerat nobis, ut bini annui, tanquam magistratus, omnia necessaria curarent, cæteris quietis. Sed posteaquam cœpit cogitari, utrum hoc mulierculæ sinerent, quas & alii nostrum jam habebant, & nos habere volebamus: totum illud placitum, quod bene formabamus, dissiluit in manibus, atque confractum, & abjectum est. Inde ad suspiria, & gemitus, & gressus ad sequendas latas & tritas vias seculi, quoniam multæ cogitationes erant in corde nostro,

Pſ. 32.11. consilium autem tuum manet in æternum. Ex quo consilio deridebas nostra, & tua præparabas: nobis daturus escam in opportunitate, &

Pſal. 144. aperturus manum tuam, atque impleturus animas nostras benedictione.

N O T A.

- I. 2. C. 2.* a *Romanianus communiceps noster*) ad quem scripsit libros tres *Contra Academicos*, item lib. de vera religione. Ejus egregias dotes commemorat initio libr. 1. & 2. *contra Academicos*, ubi ad veram Sapientiam se etandam eum ardenter cohortatur, & studiorum suorum Mecænateim prædicat. Tu me adolescentulum, ait, pauperem, ad peregrina studia pergentem, & domo, & sumptu, & quod plus est, animi excepisti, &c.

V S V S.

V S V S.

Multum conducit ad veræ Sapientiæ studiū rei familiaris & uxoriæ abdicatio. Expertus est hoc S. D. cum suis, cum quibus in vitam communem conspirasset, nisi Feminæ intercessissent. Vere dixit S. Paulus, *qui autem cum uxore est, sollicitus est, qua sunt mundi, quomodo placeat uxori (quomodo procuret rem familiarem) & divisus est.*

C A P. XV.

Loco concubina discedentis, ex qua filium susceperebat, aliam urgente libidine se procurasse.

I. Nterea peccata mea multiplicabantur: & avulsa à latere meo, tanquam impedimento conjugii, cum qua cubare solitus eram, cor ubi adhærebat, concisum & vulneratum mihi erat, & trahebat sanguinem. Et illa in Africam redierat, vovens tibi alium se virum nescitaram, relicto apud me a naturali ex illa filio meo. At ego infelix, nec feminæ imitator, dilationis impatiens, tanquam post biennium accepturus eam, quam petebam; quia non amator conjugii, sed libidinis servus eram, procuravī aliam, non utique conjugem: qua tanquam sustentaretur & perduceretur, vel integer vel auctior morbus animæ meæ, satellitio perdurantis consuetudinis in regnum uxoriū. Nec sanabatur vulnus illud meum, quod prioris præcisione factum fuerat; sed post fervorem doloremque acerrimum putrescebat, & quasi frigidius, sed desperatius dolebat.

K

N O

N O T A E.

¶. 9. 8. 6. 2 Naturali ex illa filio meo) cui Adeodatus nomen erat: de quo infra.

V S V S.

1. Concubina Augustini vovit Deo, se alium virum nescituram, unde colligere potes, viguisse in antiqua Ecclesia consuetudinem vovendi continentiam & castitatem, ut pluribus explicat S. D. in illud Davidis, *Vovete & reddite, Domino Deo vestro omnes &c.*

Psal. 75.
72.

Alius, inquit, vovet Deo castitatem conjugalem, ut preferer uxorem non noverit aliam. Alii etiam vovent, nisi experti tale conjugium, ultra nihil tale pati, nihil tale concupiscere, aut sustinere; & ipsi voverunt aliquid magis quam illi. Alii virginitatem ipsam ab iuventute atate vovent, ut nihil tale experiantur, quale illi experti sunt, & reliquerunt; & isti voverunt plurimum. Alii vovent domum suam esse hospitalem omnibus sanctis advenientibus; magnum votum vovent. Alius relinquere omnia sua distribuendo pauperibus, & ire in communem vitam, in Societatem Sanctorum; magnum votum usuit, &c. Ita S. D. illustri veteris Ecclesiae testimonio refellit Sectariorum audaciam, qui vota damnarunt, quia violarunt: plerique ex monasteriorum Apostatis prognati.

2. Mira Dei longanimitas, in electorum conversione exspectanda. Discessit concubina prior ab Augustino, nec tamen ille discessit ab animo peccandi: alteram quæsivit consuetudine libidinis urgente, nec prioris pœnitentiam imitatus est. Sed non omnibus hanc Deus exhibet patientiam, in Augustino misericors, in aliis severus, nemini injurius.

C A P. XVI.

Solo metu mortis & judicis, se aliquatenus coercitum in voluptatibus carnalibus: alioqui Epicuro palmam daturum & voluptati, qua extra Deum vera non est.

3. **T**ibi laus, tibi gloria, fons misericordiarum. Ego fiebam miserior, & tu pro-

propinquior. Aderat jam jamque dextera tua, eruptura me de cœno, & ablutura, & ignorabam. Nec me revocabat à profundore voluptatum carnalium gurgite, nisi metus mortis & futuri judicii tui, qui per varias quidem opiniones, nunquam tamen recessit de pectore meo. Et disputabam cum amicis meis Alípio & Nebridio, de finibus bonorum & malorum, & Epicurum acceptum fuisse palmam in animo meo, nisi ego credidisse post mortem restare animæ vitam, & tractus meritorum, quod Epicurus credere noluit.

2. Et quærebam, si essemus immortales, & in perpetua corporis voluptate, sine ullo amissionis terrore viveremus, cur non essemus beati, aut quid aliud quæreremus? Nesciens idipsum ad magnam miseriam pertinere, quod ita demersus & cæcus, cogitare non possem lumen honestatis, & gratis amplectendæ pulchritudinis, quam non videt oculus carnis, & videtur ex intimo. Nec considerabam miser, ex qua vena mihi manaret, quod ista ipsa, fœda tamen, cum amicis dulciter conferebam: nec esse fine amicis poteram beatus, etiam secundum sententiam, quam tunc habebam in quantilibet affluentia carnalium voluptatum. Quos utique amicos gratis diligebam, vicissimque ab eis me diligere gratis sentiebam.

3. O tortuosas vias! Vix animæ audaci, quæ speravit, si à te recessisset, se aliquid melius habituram. Versa & reversa, in tergum, & in latera, & in ventrem, & dura sunt omnia. Et tu solus requies. Et ecce ades; & liberas à miserabilibus erroribus, & consti-

tuis nos in via , & consolaris , & dicis: Currite, ego feram, & ego perducam, & ibi ego feram.

N O T A E.

- V. tract. a Epicurum) Est hic Philosophus passim infamis,
de Epicu- ob suam de beatitudine sententiam , quam , ut
reis & communis opinio fert, in voluptate carnis con-
Stoicisto. stituit , ut s̄æpe alibi afferit S. D. quamvis non
6. nemo censeat illum intellectissime voluptatem ani-
mi omni dolore vacantis. Sed damnatur com-
muni omnium sensu , ita ut & Poeta quoque
appellet, *Epicuri de grege porcum* , voluptatis Se-
ctatorem.

V S V S.

- Ecclesi. 7. I. Memorare novissima tua ; & in eternum non pecca-
46. bis, aut certe minus peccabis, si memoria sit mi-
nusseria , qualis fuit in Augustino Manichæo.
Hæresi 46. Credidisse vero Manichæos supplicia improbo-
ad Quod- rum post mortem testis est S. D. afferens illos
vult. docere substantiam mali finito isto seculo , post confla-
grationem mundi in globo quodam , tanquam carcere
sempiterno esse vitturam. Cui globo affirmabant acce-
surum semper & adhæsurum , quasi coopertorium atque
tectorium ex animabus , natura quidem bonis , sed ta-
men , qua non potuerant , à contagione mali purgari.
2. Recte deplorat stultitiam suam , quod putave-
rit beatitudinem in voluptate carnis posse con-
sistere , cum ea ipsa sine amicorum solatiis ei
jucunda non esset , major ergo delectatio est
amicitiæ , quam libidinis. Certe belluini animi
est , lutum pro beatitudine amplecti.
V. Lef. 3. Hæc est conclusio , quam omnes carnis vol-
I. i. de sum. bono 4. putes pervagatus fecit Augustinus , Versa & re-
versa in tergum & in latera , & in ventrem , & dura
sunt omnia , & tu (Domine) solus requies , beatus qui
hoc agnoscit , nec alibi quiescit.